

1488 doro Palæologo , si eo mittere aliquem suorum vellet , propter ejus summum in rempublicam studium , summam fidem , singularemque constantiam . Regis etiam Roxolanorum legatio cum preciosarum pellium muneribus ad Senatum venit , petiitque ut ad ipsorum littora reipublicæ onerariæ naves longæ ad mercaturam exercendam mitterentur . Ea de re , propter longinquitatem itineris , navigationisque tædium atque pericula , quod Mœotis erat palus emetienda , nihil est impetratum . Legati , qui duo erant fratres , honorifice accepti , veste uterque aurea , & auri libra publice donati , Romam profecti sunt .

1489 Insequente vero anno , de quo paulo ante dicere incœpimus , Franciscus Gonzaga , qui Mantuæ regnum a majoribus traditum obtinebat , in reipublicæ militiam conscriptus est : eique Senatusconsultum est missum , quo ex Senatusconsulto equitibus cataphractis trecentis , sagittariis qui equo uterentur , quadringentis , militibus ducentis & quinquaginta præcesset . Cum autem Mathias Pan noniæ rex , homo rei militaris scientia atque gloria clarus , bellum Federico Imperatori duobus exercitibus intulisset , uno in Carnos , altero in Liburnorum fines immisso : Senatus vicinitate belli adductus , per Antonium Bolduum , Dominicum Bolanum legatos , illum ad Federicum , hunc ad Mathiam missos , eorum regum animos jam exulceratos leniit : itaque inducias inter eos dictæ .

Federici
Casaris in
Italiam ad
ventus .

Earum induciarum tempore , solitus belli occupatiōnibus Federicus Tridentum venit , omnem illum Italiae tractum , qui a lacu Benaco ad Aquilejam secundum Alpes est , si per Venetos liceat , animi causa perlustratus . Ea intellecta re Senatus Hieronymum Barbarum , Dominicum Grimanum , qui postea Cardinalis fuit , Paulum Trivisanum , Hieronymum Leonem legatos ad eum misit , qui ei venienti obviam Roveretum profecti sunt , reiquepublicæ nomine illum salutatum exceperunt . ea que postea legatio , quoad is in Italia fuit , ei præsto omnibus in reipublicæ locis fuit , atque uti pro copia lo-

co-